



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt ad salutationes sacerdotales, ad Missam omnes deuotè respondeant.
lxxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

tini, & illæ festiuitates quas singuli episcopi in suis episcopiis cum populo collaudauerint, quæ vicinis tantum circum morantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquæ verò festiuitates per annum non sunt cogendæ ad feriandum nec prohibendæ. Indictum verò ieiunium quando fuerit denunciatum, ab omnibus obseruetur.

Vt presbyteri, quum festiuitates annunciant, vigiliarum non obliuiscantur. Cap. LXXVIII.

Item cum presbyteri sacras festiuitates populo annunciant, etiam ieiunium vigiliarum, vbi esse debet, eos omnimodis seruare moneant. *Ex cõcil. apud Cõpendium. cap. 1.*

Vt ad salutationes sacerdotales ad Missam omnes deuotè respondeant. Cap. LXXIX.

Item intimandum est vt ad salutationes sacerdotales congruæ responsiones discantur, vbi non solum clero & Deo dicatæ sacerdoti responsionem offerant, sed omnis plebs deuota consona voce respondere debet. *Ex cõcil. Aurelian. cap. 2.*

Vt nullus ordinatus per sancta discurrat, Ecclesiæ suæ cura derelicta. Cap. LXXX.

Interdicendum est, vt nullus ordinatus, siue ordinandus migret de sua parochia ad aliam, nec ad limina apostolorum orationis causa Ecclesiæ suæ cura derelicta, nec ad pallatium causa interpellandi. Quod si fecerit, nihil valet huiusmodi aut ordinatio aut demigratio. Et hoc omnibus fidelibus denunciandum, vt qui causa orationis ad limina beatorum apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, & sic proficiantur: quia à proprio episcopo suo aut sacerdote ligandi, aut soluendi sunt, non ab extraneo. *Ex dictis August.*

De dominica die qualiter sit veneranda. Caput LXXXI.

Omnes dies dominicos à vespera in vesperam cum omni ueneratione obseruare decreuimus, & ab illicito opere abstinere, & vt mercatus in eis minimè sit, nec placitum vbi aliquis ad mortem vel ad pœnam iudicetur, nec sacramenta iurentur, nisi pro pace facienda. *Ex cõcil. apud Cõpendium, cap. 2.*

H iij